







*Q. B. V. D. O. M.*  
 EXERCITATIO PHILOSOPHICA,  
 DE  
**EXISTENTIA DEI,**  
 EX  
**STVPENDA MENTIS**  
**CVM CORPORE VNIONE,**  
 DEMONSTRATA,  
*QVAM*  
 PRÆSIDE  
**FRANC. VLRICO RIES,**  
 S.S. THEOL. LICENT. ET PHILOS. PROF. PVBL. ORDIN.  
 h. t. FACVLT. PHIL. DEGANO,  
 D. XXII. IVN. MDCCXXVI.  
 PVBLICO DNN. COMMILIT. EXAMINI  
*SVBIICIET*  
**IOH. HENRICVS VILMAR,**  
 VICENHVSA-HASSVS.




---

MARBVRGI CATTORVM,  
 TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.





EXISTENTIA DEI  
STRICTA MENTIS  
CUM CORPORE VISIONE  
DEMONSTRATA  
FRANC. VIRRICO RIES.  
PUBRICO DEL COMMUNE EXAMINE  
IOH. HENRICH VIMAR



MARCO CITTORAM  
PUBRICO DEL COMMUNE EXAMINE







DISSERTATIONIS PHILOSOPHICAE  
DE  
EXISTENTIA DEI,  
EX  
STVPENDA MENTIS  
CVM CORPORE VNIONE  
DEMONSTRATA.

§. I.



¶ *T*ot sunt, tamque magna, cum domestica, tum *Argumen-*  
externa, existentiae divinae *a posteriori*, si- *tum pro ex-*  
ve, quod idem est, rerum *contingentia*, (de *istentia Dei*  
monstrationem enim *a priori* non magni *illustre ab*  
facimus) argumenta ac testimonia, ut, si cui *unione men-*  
in tanta luce vel minimū circa dogma hoc *tis & cor-*  
capitale dubium haeferit, is studio oculos *poris desu-*  
*mitur.*

claudere, & cum ratione insanire merito dicendus sit. Sive enim  
spectemus *εξαιρετον* illud *εου δωρον*, mentem, & praefulgentem  
in ea Entis perfectissimi *notionem*, omnesque itidem ejus *fa-*  
*A* *cultates,*



*cultates, intellectum, iudicium, voluntatem, rationis etiam & conscientiae lumen: sive contemplerur artificiosissimam corporis nostri machinam, & partium hujus singulorum structuram & concentum admirabilem: sive denique percurramus totum hoc, qua late patet, universum, ejusque intueamur opera vasta & stupenda, eorum ornatum, & mirissimam ex dissimillimis motibus harmoniam, pulcherrimumque, quo omnia ad finem certum communi opera & constanti lege decurrunt, ordinem: luculentissima existentiae Numinis vestigia inveniemus, ut praesentem ubique Deum videre liceat, ejusque omnia plena sint. Est Deus in nobis, nobiscum est, intus est, uti eleganter SENECA, totusque homo tam Dei plenus, ut vel palpando ipsum invenire possit, seque in Deo, & in se Deum, videat & sentiat. Sed & totidem veluti scalae ad Deum sunt omnes praeter hominem creaturae, ex quibus divina ejus potentia & majestas relucent. Modo ergo cui volupe sit per totum hunc ire, ratione duce, mundum, praesentem ubique, sapienter potenterque operantem nutu omnia suo Deum reperiet. His autem argumentis omnibus, si quid videre mihi datum, palmam praeripere fere videtur illud, quod a miranda & divina plane *mentis cum corpore conjunctione* desumptum est; cujus qualis sit natura, qualisque *εγγεγεια*, hisce pagellis non exprimere quidem, id enim nec argumenti dignitas, nec spatii, quo circumscribimur, angustia permittunt, at adumbrare quodammodo, vel potius delineare, tentabimus.*

## §. II.

*Unionem  
inter nich-*

Tametsi vero non facile crediderim, eousque delirare quempiam, propriamque naturam & sensum communem



nem exuere posse, ut talem *unionem* existere negare ausit: <sup>tem & cor-</sup>  
 nihilominus tamen, cum haud sim nescius, <sup>pus dari</sup> monstruosos <sup>probat.</sup>  
 etiam conceptus dari, nihilque adeo esse absurdum, quod  
 non ab aliquo saltem defendatur, haud frustra me futurum  
 confido, si vel verbulo unionis dictae *veritatem & existen-*  
*tiam actualem* adstruam eam.

## §. III.

Et vero multa sunt, quae eam probant. Nam <sup>a. Ex men-</sup> *s. fitis & cor-*  
 tertum est, *mentem* in operando magnam pendere partem <sup>poris a se</sup>  
 a corpore, & corpus vicissim a mente, ultro sequitur, ali- <sup>invicem de-</sup>  
 quid habere utramque substantiam inter se commercii. At <sup>pendentia.</sup>  
 prius esse verum, experientia docet. Omnium quidem homi-  
 num quoad essentiam, facultatesque naturales, eadem, sibi-  
 que per omnia similis, *mens* est; ut vere dixerit ille:  
*nil bona mente distributum esse acquabilius.* At enim vero,  
 hoc non obstante, varia observare licet in variis homini-  
 bus *ingenia*, varias *animi dotes*, *inclinationes* varias: ut u-  
 nus altero rem objectam clarius & distinctius intelligat, so-  
 lidius de ea iudicium ferat, magis vel minus eandem con-  
 cupiscat, tenaciusque memoria custodiat; alter ingeniosior  
 sit & acutior, tardior alter & stupidior. Unde autem tanta  
 in genere humano diversitas? Non certe ab ipso spiritu,  
 qui omnibus natura idem est, sed ut plurimum a multiplici  
 corporis constitutione ac temperamento dissimili, oritur.  
 Quin immo, levi subinde in corpore *mutatione* facta, &  
*animi dotes*, *voluntatisque propensiones*, sive in melius, sive in  
*pejus*, mutatas cernimus: dum v. gr. stomachus *cibis* po-  
 tuque immodice repletus, aut corpus *labore* fessum, *mor-*  
*bove* afflicto est, spiritus functiones non tam promte  
 procedunt, ac postea, quando quis sobrie & tem-  
 peranter



peranter vivens sanitatem pristinam recepit; corporis defatigatio mentis etiam defatigationem parit. In *aetate primula*, & *somno*, nullus ferme, vel saltem non rectus & integer, ad est rationis usus, ut bruta inter animantia & infantes somnoque sepultos, si actus externi attendantur, exiguum discrimen sit. Crescente vero & adolescente infante, partibusque corporis debilioribus consolidatis, crescit ingenium, crescit iudicium: excitato e somno dormiente, usus rationis qs. redit, et alacrior spiritus evadit. Aliud porro ingenium *infantiae* est, *juventutis* aliud, aliud *aetatis virilis*, aliud *senectutis*. In aetate prima memoria potissimum praepollet; in adultiori vim suam exserit iudicium; in senecta perit plerunque memoria, perit iudicii acies, ut in proverbium abierit: *bis pueri senes*. Pro diversis *temperamentis* & hominum inclinationes atque studia variant. Sanguineus ad voluptates; cholericus ad ambitionem & honores; melancholicus ad avaritiam proclivior est. Dum quis *profundis meditationibus* diutius intentus, hebescere aliquando iudicium sentiet, non quod hebescat spiritus, cuius natura *to* operari absolvitur & perficitur, sed quod deficiant spiritus animales, viresque corporis: hinc quoque, sive per somnum, sive per alia confortantia, corpore ad breve tempus refocillato, expeditius longe ad abruptas ante meditationes redire poterit. Quae cuncta argumentum sunt validissimum intimae spiritus cum corpore communionis, multumque corporis habitudinem ad rationis usum ingenique facultatem conferre ostendunt. Ut taceam nunc *sensuum operationes*, in quibus praecipue etiam ista mentis a corpore dependentia se prodit. Sed & non minori certitudine gaudet illud, quod posuimus, *corpus in suo operandi*



randi modo pendere a mente. Qui diu meditatur, cephalalgia se affici experietur. Cujus spiritus inquietus est, aut ex causis spiritualibus tristitia afficitur, is suum etiam corpus inquietari, tristari q̄s, & langvescere deprehendet: e contrario, si lacta & jucunda conscientia spiritus fruitur, de ea participat corpus, seque melius habet, ut animi hilaritas non parum conducatur sanitati corporis. Immo plusquam notum est, modo debite disposita sint corporis membra, parata ea esse ad exequendas mentis iussiones. Volo loqui, dictum factum, lingua volubilitate mira tremulum & articulatum in aere motum efficit, cui mentis cogitationes adligatae cum altero communicantur: volo manum pedemve movere, determinantur ad haec membra spiritus sic dicti animales, eaque movent. Unde evidens fit ac manifestum, dari quandam corporis a mente dependentiam. Jam autem, si mens a corpore, & corpus a mente, in operando dependet, quis dubitabit amplius, quin duae hae substantiae amico sibi sint conjunctae foedere?

## §. IV.

§. Ex aelli-

Sed & novum 2. pro hoc mentis cum corpore nexu <sup>omnibus</sup> argumentum nobis suppeditant actiones illae, quae a mente <sup>mixtis</sup> & corpore simul producuntur, atque mixtae alias nuncupari solent, non quidem ratione principiorum, quae misceri & confundi nequeunt, sed ἀποτελεσματος, sive effectus & termini, in quo ad eandem actionem simplicem efficiendam concurrunt: quales utique nullum habere locum possent, si non causae concurrentes arctissime inter se ligatae & confoederatae forent.

## §. V.

§. Ex ad-

Tandem 3. sole id ipsum meridiano clarius patefcit <sup>factu men-</sup>



*tis erga  
corpus.*

ex singulari prorsus *mentis erga corpus adfectu & propensione*; qua fit, ut corpus tanquam propriissimum instrumentum agnoscat; tanquam suum curet, si quid ipsi jucundi, aut adversi, acciderit, hoc, ac si sibi acciderit ipsi, consideret, aeternoque hujus unionis desiderio teneatur. Quae denuo absque intimo quodam utriusque substantiae inter se vinculo concipi nequeunt. Quare caecus sit oportet, qui ex dictis de hac veritate non omnimodo est persuasus.

## §. VI.

*Quid unio  
in genere  
sit?*

At *qualis* sit unionis illius ratio, investigemus! Heic autem in antecessum monemus, nos per *unionem* generatim spectatam nil designare aliud, quam certam aliquam *rerum diversarum in unum conjunctionem*, ad constituendum totum, vel talem *convenientiam, similitudinem & relationem*, qua *res una est cum alia, & ad eam refertur*, ita, ut, sive in existendo, sive in operando, ab ea dependeat. Quae *relatio* tamen *utriusque subjecti naturae convenienter* concipienda est.

## §. VII.

*Quid in  
ea cavendum?*

Ex qua definitione claret, *n.* unionem non dicere *transitum essentiae unius in essentiam* alterius; quo utique pacto non tam unirentur essentiae, quam alterutra tolleretur; id quod etiam, cum essentiae rerum sint immutabiles, neque detur dimensionum penetratio, impossibile. Integrae potius ac separatae manent, quae uniri dicuntur, substantiae, neque una alteram immeet. Hinc etiam  $\gamma$  manifestum fit, in unionem non opus esse aliquo *tertio*, quo, tanquam glutine, res diversae sibi jungantur invicem, sed, quae uniuntur, substantias, *per se uniri & immediate*, absque ullo intercedente medio.

## §. VIII.



## §. VIII.

Cum autem omnis unio *conformis* esse debeat rerum <sup>Quomodo uniantur</sup> uniendarum *essentiis*, per se liquet, substantiarum toto <sup>corpora & spiritus?</sup> caelo *diversarum* *diversam* quoque; atque ita *aliam* *corporum*, *spirituum* *aliam*, *aliam* denique *spirituum* ac *corporum* simul, unionem esse. *Corpora* v. gr. quorum natura *extensione* absolvitur, non junguntur aliter, ac per *superficierum contactum*, & *extensionem mutuam*: unde, quo minus intercedit *materiae heterogeneae*, quae *corpora* illa *disjungit*, eo unio ista *arctior* est. Vice versa *spiritus* cum sint *cogitantes*, & *omni extensione destitutae*, neque ulla *superficie externa terminatae*, *substantiae*, uniri sibi invicem nequeunt, nisi eo modo, quo sunt, *naturaeque eorum convenienti*, i. e. per *cogitandi actus*, tum *α. ratione intellectus*, in quantum unus est alterius *consciis*, eumque *objective* habet in *intellectu*; tum *β. respectu voluntatis*, per *potentiam*, *amorem* & *acquiescentiam*, quatenus vel in se invicem *operantur*, vel *cura* & *adfectu feruntur*, *mutuoque sese complectuntur amore*. Qualis *cogitationum communio* haud dubie *angelos inter*, & *spiritus humanos a corporibus* per *mortem disjunctos*, locum habet.

## §. IX.

Quod si porro hanc *sive corporum*, *sive spirituum*, <sup>Quotuplex unio?</sup> unionem penitus *inspexerimus*, *varios* utramque habere <sup>ut sit haec corporum & spirituum unio?</sup> *gradus*, & pro *vario uniendi modo*, *simplicem* *aliam*, *aliam* *suppositalem*, aut *personalem*, esse *comperiemus*. Et quidem *α. unio corporum simplex* *mero* & *simplici contactu* perficitur: cum per *suppositalem* (*vocem enim personae de corporibus* minus recte *adhiberi* censemus) *unum ab altero in operando dependeat*, sibi *que* *jungantur* *obcertum quendam*



dam *finem & usum*, ad constituendum totum, quod scopo suo destinatum & aptum est. Per *unionem* autem *simplicem spirituum* nil designatur aliud, quam harmonica quaedam, sive cognitionis, sive amoris, sive morum & actionum eorundem convenientia; quae pro diverso operandi modo iterum *mutua* est, vel *non mutua*. *Non mutua* vocatur, eo quod, unus spiritus licet cognoscat & amet alterum, non tamen ab altero vicissim cognoscatur & ametur: *mutua*, quae absolvitur alterna, cum perceptionum, tum volitionum & operationum, reciprocatione, qua non hic solum spiritus illius notitiam habet, eumque diligit, verum etiam ab eo vice versa cognoscitur atque diligitur. Denique unio spirituum *hypostatica*, seu *personalis*, talem dicit unionis modum in spiritibus, quo tam arte sibi junguntur, ut in operando a se dependeant; neque ut causae fociae tantum, sed ut unum quasi subiectum ex utraque natura compositum opus efficiant. Quò sensu *anima Christi humana* cum *spiritu* ejus *divino* personaliter, non tamen mutuo, unita fuit.

Quomodo  
spiritus ac  
corpora si-  
mul unian-  
tur?

## §. X.

Ex dictis pronum erit iudicare de unione *corporum* atque *spirituum simultanea*: quae itidem non nisi *ομολογως* τῆ φύσει utriusque subiecti concipi debet. Hinc ergo *corpora* junguntur *spiritibus*, quando a spiritibus cognoscuntur, iisque percipiendi, aut appetendi aliquid, medium atque instrumentum sese praebent: vel quando spiritus afficiunt, variasque in iisdem suis motibus cogitationes excitant. E contrario *spiritus* junguntur *corporibus*, tum per *intellectum*, cuius ope in corporum notitiam veniunt, & cum iis uniantur, tum per *voluntatem*, qua in corpora operantur,



tur, eaque huc illuc determinant & movent, vel etiam ex-  
imio eorum amore capiuntur.

## §. XI.

Et sic forsitan ipsis *angelis* aliquam ad *corpora* re-  
lationem & cum iis unionem intercedere, defendi posset; *Talis unio*  
non *hypostaticam* quidem, cum a corporibus ne *gelos, men-*  
que dependeat, neque adficiantur, sed *simplicem*, & *res huma-*  
forte, propter certas tantum actiones, *transitoriam*, quia cor-  
pora cogitant, cognoscunt, amant, inque ea, & circa ea, *nas, & cor-*  
varie operantur: quamvis, quousque hoc ange-  
lorum cum mundo corporeo commercium se extendat,  
& utrum eorum circa corpora potentia *extraordinaria* sit,  
utrum *ordinaria*, in praesenti, ne temeritatis notam incur-  
ram, decidere non aggrediar. Quin immo ipsa *mens* no-  
stra hoc sensu *corporibus* quibusvis *aliis* conjungi potest, dum  
nimirum de iis cogitat, eaque sibi objective per ideas in  
intellectu repraesentat; vel dum delectatur iisdem, & se-  
cum ea unire studet.

## §. XII.

Verum enim vero quicquid sit spiritibus coelestibus, &  
mentibus humanis, cum corporibus aliis commercii, non tan-  
tum est, ut ad naturam *unionis*, quae *mentem* inter ac cor-  
pus nostrum intercedit, debite explicandam sufficiat; sed  
*arctior* haec est magisque, *familiaris* neque enim *mens*  
objective solum, idearumque subsidio, verum *subjective*,  
& per *intimum sensum*, corpus sibi praesens esse intelligit:  
neque *mediate*, uti a corporibus aliis, per corpus suum,  
sed *immediate & proxime* a corpore suo adficitur: neque *pro*  
*lubitu, indifferenter*, & ad tempus, corpus proprium,  
quem-

*Arctior est*  
*unionis*  
*nostrae cum*  
*corpore no-*  
*stro.*



quemadmodum corpora extra se posita, cognoscit, diligit, eoque utitur; at naturalem in se sentit erga hoc corpus suum adfectum, quo optat, omnique nisu quaerit, ut perpetuum sit hoc cum corpore suo conjugium, & invita domicilium istud deserit, cujus jactura miseriam suam augeri censet. Quare haec unio ab illa distincta plane & peculiaris est.

## §. XIII.

Ejus ratio ostenditur  
A. nat' ag-  
319.

Quo autem in specialiore ejusdem intelligentiam deducamur, I. non imaginari nobis unionem istam debemus per modum *confusionis* & *commixtionis*, qua mens & corpus, distinctissimae, uti in essendo, sic in operando, essentiae inter se confundantur, sibi que immergantur, ut una qs. alterius naturam induat. Abstrahendum II. ab omni *diffusione*, ne putemus, diffuere mentem per totum corpus, eique coextensam esse, atque ita illud animare & regere: sub qua forma, *corpusculi* nempe *punctati*, delineatam haud raro ab imperitis & incautis hominibus animam rationalem videmus. Procul sit III. ab hac unione omne *tertium* & *intermedium*, quo, tanquam vinculo, duae istae substantiae sibi jungantur. Vitandus IV. *omnis contactus* & *localitatis* conceptus, neque existimandum, inhabitare mentem quandam cerebri partem, v. g. *glandulam pinealem*, *medullam oblongatam*, aut aliud aliquod *spatiolum*, in quo, reginae ad instar, sedem suam fixerit, & ex quo, tanquam throno, in corpus influat, illudque tangendo moveat. Hae & similes praecōceptae opinioniones, quae crassae nimium, mentisque naturae contrariae,



riae, in unionis hujus materia, si verum nobis conceptum formare curae cordique est, eliminandae sunt.

## §. XIV.

Atque ita κατ' ἀγωγὴν hanc unionem contemplati fuimus. Si quis porro a nobis efflagitet, ut & positive ejus naturam modumque ipsi indigemus, durum & iniquum hoc postulatum nobis comparet, quod desiderari facilius, quam ad id responderi, potest. Interim tamen, ne in re tam ardua nihil plane dixisse videamur, nostra, qualiacunque sint, de hac veritate cogitata cum B.L. communicamus. & ergo quaerendam hanc unionem esse censemus in ἀρξίστῳ sensu, ἀφεστῷque intimo, quo mens fertur erga corpus, illudque, tanquam suum, & instrumentum propriissimum, agnoscit & recipit; non aliter, ac si corpus quaedam sui pars, immo mens ipsa, sit. Unde de eo, quod corpori accidit, mens qs. participare videtur, & pro vario corporis statu, laeto aut tristi, gaudium aut συμπάθειαν concipit; tanto etiam corpus amore prosequitur, ut citra ejus consortium vivere vix possit, se saltem beatam minus futuram opinetur. Praecipue vero unionem istam ponimus in mutua cogitationum mentis, motuumque corporis, reciprocatione ac dependentia, qua fit, ut, ad certas in mente perceptiones volitionesque, certi adsint in corpore motus, & positis vicissim certis in corpore motibus, in mente certae ponantur cogitationes. Nil sane in hac unionem reperimus praeter mentis cogitationes & motus corporis, eorumque inter se harmonicum nexum, & ad se invicem relationem. Quisquis aliud quid praeter dicta quaerit, aut frustra quaeret, aut quid inveniet, quod



huc non pertinet. Neque etiam, hanc unam si exceperis, alia mentem corpusque conjungendi ratio, quae utriusque subjecti naturae accommodata sit, concipi poterit. Quin talis relatio ad explicandas mentis & corporis, totiusque adeo hominis, actiones personales abunde sufficit. Si autem ulterius quaeratur, qualis sit mutuae hujus dependentiae *causa & principium*? respondeo, neque ex *necessitate* quadam *naturali*, & *vi physica* ortam, neque *mentem & corpus*, tanquam *causam* ejus *efficientem & proprie* dictam, considerari posse, quemadmodum in seqq. prolixius ostendetur; sed unice deberi sapientissimi Creatoris *voluntati*, qui tale mentem inter & corpus vinculum instituit, fœdusque erexit, ut ad tales, vel tales, corporis commotiones, tales mens cogitationes percipiat, & vicissim.

## §. XV.

*Ejus modus cognitivus difficilis.*

Quod si vero unionis hujus *modum*, quo res adeo differentes coire in unum & agere in se mutuo potuerint, curiose quis scrutari audeat, hujus equidem scrupulositatem negotiosam miramur, sed non moramur: immo vero juxta cum ignorantissimis eundem nos ignorare lubentes fateamur, certi, meliorem esse hac in parte fidem ignorantiam, quam temerariam scientiam. Sufficit nobis nosse *toti*, de *τω διotti* & *τω πωσ* parum sumus solliciti.

## §. XVI.

*Neque planiore cum facit quorundam explicatio.*

Si quis tamen arbitretur, se eximiam materiae intricatae accendere lucem posse, si statuerit, *mentem* inter & *corpus* mutuam dari *conspirationem & harmoniam*, vi cujus utriusque substantiae actiones & motus, idque non *casu & contingenter*, sed *praedefinite*, ad se referantur, & quasi coincident, huic, si recte intellexerit, i. e. tali sensu, quod inter



inter mentis cogitationes, & corporis motus, *harmonia* quaedam inveniatur, quae à DEO fuerit ab aeterno *praestabilita*, non contradico, id namque & experientia, & ratio, & revelatio, infallibiliter probant: at hoc moneo, nil in eo esse novi, quod non dictum prius, quodve a vulgari sententia recedat: ut taceam, hujusmodi locutionibus difficultatis momentum, quomodo scilicet diversae inter se substantiae conjungi, & in se operari, queant, minime tolli. Sin per *harmoniam* dictam intelligatur *series* quaedam, & *nexus cogitationum* atque *motuum continuus & necessarius*, ut, quemadmodum ex *natura corporis* motus, sic ex *natura mentis*, ejusque, ceu *automati* cujusdam, *determinatione naturali*, idque *independenter a Causa prima*, actiones mentis fluant, & producantur, non mentis solum *libertati*, verbis licet relinquatur, injuria fieri, sed & via ad *Stoicismum* pandi videtur. Si autem denique quis dixerit, *actus omnes mentis corporisque motus*, etiam minutissimos, per *decretum divinum* specialissime *definitos & stabilitos* esse, ut virtute ejusdem producantur in actum, ei lubens quidem accedo: at repeto iterum, quod jam ante dixi, nec novi hunc & singularis aliquid proponere, nec difficultatem, quae hac in materia summa, quod videlicet et modo cum *decreto Dei aeterno* mentis *libertas* conciliari & consistere queat, e medio tollere. Plura non addo.

§. XVII.

Tamet si vero incertus sit unionis modus, id *intima* tamen indubitato constat, *artissimam* esse & *proxi est haec* *nam* hanc mentis cum corpore *confederationem*, ut *su-unio*, as qs, utraque substantia *essentias* inter se commutasse, &

B 3

mens



mens corporis, corpus autem mentis, naturam induisse censeantur, mens in corpore qs. cogitet, & corpus in mente moveatur. Dum mens agit, agere videtur corpus, vicissim, dum movetur & patitur corpus, perinde est, acsi moveatur & adficiatur mens ipsa, non objective solum, sed & subjective. Neque mens & corpus ut *causae sociæ*, sed tanquam *partes unius suppositi* ad eundem effectum producendum concurrunt, utpote quæ *personaliter* unitæ unum *totum & compositum* unamque *personam* constituunt, ut illa operatio ab uno veluti subiecto, ex utraque natura composito, dependeat. Immo vero ex arctissimo hoc mentis cum corpore vinculo & communionem intimam ortum habent cuncta illa *præiudicia & errores*, quibus maximam hominum partem imbutam esse deprehendimus, quasi corpus sit *mens ipsa*, & immediatum ejus *subiectum*; vel mens ipsum *corpus*, vel aliqua saltem ejus *qualitas & attributum*, *sanguinis & spirituum crasis ac temperamentum*, vel *motus corporis subtilissimus ac velocissimus*, vel quasi per totum corpus *mens diffusa* sit, & *coextensa*, cet.

Non fit mediante tertio.

§. XVIII.

Ut vero tam arcta sit hæc unio, non tertio, quo, tanquam glutine, mens ac corpus sibi jungantur, opus esse, existimandum: præterquam enim quod *n.* istiusmodi tertium aliquod extra mentem & corpus in rerum natura nec detur, nec dari possit: notandum *q.* in *nulla*, ne quidem rerum corporearum, *unione*, talem requiri conglutinationem, multominus in unione, qualis hæc est, mentis & corporis; sed substantias hæc uniri per *se ipsas & immedi-*



*mediate.* Neque 3. ex hac sua hypothesi quicquam lucratur ejus patroni, neque difficultatem, quae circa unionis hujus modum sese prodit, tollunt, sed augent. Vel enim intermedium illud *spiritus* sit oportet, vel *corpus*, cum aliud praeter duo ista rerum genera non agnoscamus. At ponamus, *spiritum* esse, annon idem recurret dubium, quo modo nempe operari in corpus, spiritumque rationalem cum corpore connectere possit? Sin *corpus* dixeris, eandem habebis difficultatem, quo pacto spiritus rationalis agat in hoc tertium, & per illud corpori copuletur. Immo 7. si in quavis unione aliquid adesse debet intermedium, cur non & *tertio* huic, quo mens & corpus ununtur, adsignant illi Philosophi aliud aliquid *tertium*, & *isti* iterum aliud, & *illi* aliud? Qua ratione progressus daretur in infinitum, quod absolum utique & *απορον*.

## §. XIX.

Dicta satis evincunt, quam *stupendum* sit & omni admiratione plenum hoc unionis opus, cui in tota natura nil fere *Es simul mirabilis.* aequiparandum. Miramur, & merito, quod mens menti, & corpus corpori, jungantur, quae tamen substantiae sibi sunt similes. Quanto magis mirandum, res adeo diversas & magis a se invicem differentes, quam distat *ου γαρος απο γαμος*, tam arcte coalescere, & unum qs. fieri? Hoc sane *Γαμμα Γαμματαιω*, miraculorum miraculum maximum, est.

## §. XX.

Et hanc mentis cum corpore unionem esse aliquid *re-* *Vera & realis.* *fectus* *alis.* *de* evidens est, quod *veri & realissimi* ex ea profluant *ef-*



*fectus*, quales τὸ nihilō adjudicari nequeunt, cum non entis nulla dentur accidentia, affectiones nullae. Quorsum pertinent omnes *actiones personales*, *sensationes*, cum *internae*, tum *externae*, *affectus*, *operationes externae loco motivae*, et si quae sunt aliae, uti dici vulgo solent, *actiones mixtae*, in quibus producendis mens & corpus communem sibi ἐπιχορηγίαν praestant. Quae cum verè atque realiter existant, suamque ex unione dicta originem trahant, ejus quoque veritatem ac realitatem supponere, ultro sequitur: qualis enim effectus est, talis etiam causa sit oportet. *conf.* quae supra ad §. III. IV. V. diximus.

## XXI.

Non tamen  
a seipsa.

Cum autem, quicquid *verè* in rerum natura existit, vel *a se ipso* sit, vel *ab alio*, nostrum erit, ut primo statim loco inquiramus, uter existendi modus huic mentis corporisque conjunctioni congruat. Neque multo ad hoc demonstrandum labore opus erit, quandoquidem, si naturam ejus vel leviter excusserimus, convincemur illico, eam non *a se ipsa* esse & *aeternam*. Videmus enim *infantes* quotidie *nasci*, atque tum demum unionem istam initium sumere. Scimus nostrum ex parentibus ortum. Novitii sumus, neque dudum est, quod in hoc mundi theatro comparuerimus. Destituitur etiam haec unio cunctis *aseitatis criteriis*. Non in se *perfecta* & *completa* est; non *independens*; non *immutabilis*; non denique *necessario talis* & *interminabilis*. Unde colligimus, neque *a se ipsa* esse.

## §. XXII.

Non etiam  
naturalis.

Neque porro prodigiosa illa mentis cum corpore unio *naturalis* est & *essentialis*, ita ut ad *naturam* mentis pertinu-



pertinuerit jungi corpori, & ad naturam corporis adfociari menti, quemadmodum v. g. *spiritui rationali* *essentiale est cogitare*, aut *igni* *to urere & lucere*. Cum enim ( $\alpha$ .) duae istae *mentis & corporis* substantiae *distinctissimae* sint, quin sibi e diametro *oppositae*, quarum altera alteram ponit & tollit, altera etiam in alterius conceptu non includitur, concipi certe nequit, si non ima summis quis miscere audeat, quo pacto *vi suae naturae* in unum coire poterint. Simile simili gaudet, & uti ex similitudine harmonia & conjunctio, sic ex dissimilitudine fuga & abalienatio oritur. Sed &  $\beta$ . quotidiana edocemur experientia, posse *mentem a corpore* separari, neque unionem illam *constantem* esse atque *perennem*; unde novum exsurgit argumentum, non pendere eandem a mentis corporisque *natura*, quae, quantum ad essentialia, immutabilis est. Si autem neque a *se ipsa*, neque *menti & corpori* unio haec *essentialis* est, *alia*, quae, ut tam pugnantes regeret concordia causas, starentque alterno religatae foedere, fecit, *causa* investiganda.

## §. XXIII.

At quaenam illa? Num *casui* nobilem hunc effectum adscribemus, *caccave fortunae*, quasi forte magistra, sine ratione *facta*. ac consilio, tale commercium mentem inter & corpus institutum fuerit? Absit! hoc enim si quis adfirmet, ejus equidem dementem mentem, atque impudens os, valde miror. Qui enim putarem, tam illustre opus, ex quo realissimi effectus proveniunt, nulla opus habere causa, fortuitoque natum esse? I. *Nil* proprie *casu* accidit, nedum miraculosa haec, in qua tot manifestaria, non potentiae tantum, sed sapientiae quoque summae, indicia cernuntur, unio. Quicquid *casu* fit, fit *ex nihilo*, causamque, a qua esse suum acceperit, nullam



nullam habet. At absolum est & *αφισοφοφ* per se fieri aliquid ex nihilo, nullumque existentiae suae principium agnoscere. Quicquid vere est, vel a se est, vel ab alio. Nihilum in aeternum nihilum manet, si non accedat voluntatis potentissimae iussio, cuius efficacia fiat aliquid. Est porro II. haec unio *semper eadem*. Quotquot nascuntur homines, ex mente & corpore compositi nascuntur. neque unicum in contrarium exemplum prostat: quod indicium est infallibile, non modo hujus unionis *causam* dari, sed & *causam certam*. Quicquid semper fit, non fit casu; e contrario, quicquid casu fit, non eundem omni tempore effectum consequitur, aliquoties saltem casus defleat & aberrat. Praeterea III. per hanc confoederationem mens in se sentit quendam *erga corpus instinctum*, ac *propensionem*, qua in illud fertur, t̄q. corpus suum, seque extra confortium ejusdem infelicem fore existimat. Sed stolidum casum hujus facti venditare auctorem. Accedit IV. quod haec unio non ad tempus aliquod fixum, sed per *totam hominis vitam constans* sit atque *firma*, neque aliquot tantum vicibus mens a corpore, aut corpus a mente, afficiatur, verum, quamdiu vinculum mentem inter & corpus durat, *perpetuo*. Quod denuo a casu, vel fortuna, derivari nequit. Denique V. instituta haec unio ad *certum* quendam *finem*, qui est, ut mens utatur corpore, veluti instrumento suo propriissimo, ut in corpore, & per corpus, operetur; corpus autem vicissim mentem afficiat, certasque motibus suis in ea motus producat. At quis audivit unquam, *casum* posse *certum* intendere *finem*? Annon quicquid ad certum finem dirigitur, ex certo etiam principio & consilio ortum habet, atque ita causa omnis finalis supponit efficientem veram, & proprie dictam? Unde claret, quam indecorum sit



fit vere φιλοσοφουσι, casum assignare, ceu genuinam ul-  
lius effectus causam, inque eo, quando de rei vere exi-  
stentis ortu quaeritur, subsistere velle & acquiescere. So-  
lidiora sectemur!

## §. XXIV.

Verum enim vero, cum neque a se ipsa fit haec unio, Neque a  
neque ex mentis corporisque natura deduci, neque casu mente &  
adscribi possit, nihilominus arctissime & intime duae istae <sup>corpore.</sup>  
substantiae sibi junctae deprehendantur, nil superest, quam <sup>Quod doce-</sup>  
ut dicamus, vel corpus in communionem sui adscribisse spiri- <sup>tur. R. in</sup>  
tum; vel spiritum fabricasse sibi, & conjunxisse, corpus; vel <sup>genere.</sup>  
denique mentem & corpus simul, ex consensu & pactione  
mutua, hoc crevisse commercium, seque certis quibusdam ad-  
strinxisse legibus. Quorum singula quantum in se habeant  
virium, distinctius & seorsum spectemus.

## §. XXV.

Ad primum quod attinet, ne veritatis quidem speci- <sup>n. in specie.</sup>  
em & umbram habet, quod corpus mirabilis hujus cum I. Non cor-  
mente conjugii causa fit, mentemque secum tam arcte copu- <sup>pus hujus</sup>  
laverit. Ut enim I. taceam, nihil corpori fuisse in men- <sup>unionis</sup>  
tem, utpote ab ipso minus dependentem, diverlamque sub- <sup>causa est.</sup>  
stantiam, juris ac potestatis, vi cujus sibi subjugare eandem,  
& ad se referre, potuerit: certum insuper est II. quod cor-  
pus bruta sit atque iners moles, quae sensu, ratione, con-  
scientia, & actuositate omni, sua natura, destituta tam exi-  
mium effectum producere minime valuit. Immo III. quic-  
quid corpus potest, non nisi per motum potest. Cum au-  
tem mens omnis materiae, hinc & contactus, expers sit,  
impossibile fuit, ut, mediante motu, corpus in animam  
egerit, eamque ita secum univerit; tangere enim & tangi  
nisi corpus nulla res potest. Neque reticendum IV. quod



corpus *deterioris* multo sit *conditionis* ipso spiritu, ejusque *habitaculum* solum & *organum*, quod ad nutum spiritus se componere, obsequiumque praestare, tenetur. At contradicorium foret, ordinique naturae repugnans, si quis defenderet, a parte viliori & ignobiliori, corpore, assumptam fuisse praestantiozem, nempe mentem. *Ultimo* facta haec unio, uti ad §. XXIII. jam monitum fuit, ad *certum* aliquem *finem*, propter *certas causas*. Ex certo autem fine, destinatoque consilio, operari non corporis est, sed solius spiritus, qui ratione pollet. Quare *corpori*, tanquam causae physicae, talem unionem nullo jure adscribi posse, opinamur.

§. XXVI.

Nec II.  
mens.

Quemadmodum vero ab una parte corpus sibi non adjunxit mentem, sic nec a parte altera *mentem corpori se adnexuisse* & *involvuisse* certum est. Nam *n.* mens non est *causa corporis efficiens*, illudque non formavit, sed formatum invenit, & corpore infantili perfecto, immediate demum a Deo creata, corporique unita fuit. Qualiter dispositum sit corpus, plerumque ne scit quidem, tantum abest, ut ejus se artificem gerere possit. Nullam etiam *n.* si *scrinia* sua excutiat omnia, talis cum corpore concatenationis, a se profectae, *notitiam* mens habet, cum tamen, quicquid operatur, sciens operetur volensque. *Quin n.* si tali antehac instructa mens fuisset potestate sibi jungendi corpus, cur non & *semper* servavit eandem, aut quae ratio, quod postmodum facta fuerit longe imperfectior? Praeterea *n.* si mens sibi adsociasset corpus, executi haud dubie id ipsum fuisset per *voluntatis imperium*. At mere volendo quid efficere immensae virtutis opus, & solius Dei *καυχνημα* est, cujus potentia nullos fines habet. Accedit *n.* quod mens sibi relicta unionis hujus *initium, modum, ejusque*



que *naturam* ignoret. Absurdum autem omnino foret, statuere mentem esse unionis cum corpore causam, cum nihilominus, & qualis ea, & quando, & quomodo facta, ignoret: non minus, ac si gloriari non nemo vellet, se *horologii* artificem & auctorem esse, nesciret interim, tum quod in tali organo rotulae & catenulae inveniuntur, tum quot sint numero, tum qualis earundem motus, harmonia, & ad se invicem proportio. Si porro i. per suam potentiam mens sibi junxisset corpus, quidni & illud, ejusdem potentiae virtute, conservaret *integrum*, omnesque abarceret a corpore hoc suo *morbos* atque *incommoda*? Qui enim majus potuit, cur minus ei denegaremus? Immo i. cur non corpus illud secum uniret in *perpetuum*, &, utne vinculum, quo mens & corpus quasi ligantur, per mortem rumperetur, impediret? Concipe enim, fuisse corpus, ad nutum voluntatis, menti semel ab initio junctum, annon idem illud corpus, ad eundem voluntatis iussum, junctum semper menti manere potuisset? At quem fugit, invitam per saepe mentem corporis sui domicilium relinquere, aegerrimeque ex eo discedere? Alieni lege arbitrii, non voluntate sua, fragilem hanc domum incolit & deserit. Quod argumentum est, non pendere hoc cum corpore commercium a mentis desiderio & nutu. Omnium minime vero n. menti, se cum corpore isto lubentem conjunxisse, serio quis tribuet, si perpendat corpus hoc, quale nunc est, in *statu peccati*, corpus nempe *mortis* & *corruptum*, quo mens non perficitur, verum misera & imperfecta redditur. Quis enim crederet, tali ultro mentem se inclusisse carceri, taleque libertati suae circumdedisse vinculum? Tendit unumquodque sua natura non ad destructionem, sed perfectionem & consummationem sui.



## §. XXVII.

*Neque III.  
mens &  
corpus si-  
mul ex  
compacto.*

Ex dictis constat, neque corpus sibi consulto junxisse mentem, neque mentem destinata opera habitatum ivisse in corpus. Quid ergo? Num ex *compacto* forsan utraque haec substantia egit, sciensque volensque *mutua se lege obstrinxit*, & in unionem istam conspiravit? Nec hoc quisquam, cui temeritatis notam effugere volupe est, adfertum ibit. Si quis tamen eousque delirarit, hunc jubemus amice animum referre ad ea, quae §. antecedentibus monere jam occupavimus, neque dubitamus ulli, quin, modo debita cum mora, animoque a praejudiciis vacuo, rationes dictas examinaverit, convincendus sit statim, nec menti, nec corpori, ullas esse in hac unione partes. Et qui, obsecro, conjunctim mens & corpus hujusmodi vinculum instituisse, seque in unum de industria colligasse, concipi possunt, cum neque *mens* minimam talis *consensus* & *coitionis* in se deprehendat *notitiam*, neque *corpus*, ceu *bruta*, omnique *actuositate*, & *ratione*, *desituta machina*, ad consentiendum, taleque foedus erigendum, viribus polleat? Quin, si cogitato mens & corpus convenissent, eadem, qua sibi juncta, via, eademque facilitate, *a se invicem recedere* denuo, & vinculum illud pro lubitu vel rumpe, vel prorogare posse, quis inficias iverit? At utrum eligas, a veritate, usuque rerum cottidiano, alienum dices.

## XXVIII.

*Quod ulterius adferitur ex operationibus mentis & corporis.*

Huc facit tandem, quod, si a mente & corpore haec unio accessenda foret, ab iisdem penderent quoque *operationes illae harmonicae*, in quibus, quarumque communione, & concentu mirabili, unio consistit. Id autem, qua veritatis specie defendi queat, ubi cuncta sunt contraria, non video. Uti enim §. de *corpore* certum est & indubi-

um,



um, quod non sit *causa efficiens*, proprieque dicta, cogitationum mentis: cum neque 1. corpus per motum & contactum in mentem, quae omnis corporeitatis experta, agere possit; 2. mentis operationes multis parasangis exsuperent motus corporis brutos; menti 3. insint rerum etiam spiritualium ideae, quae sensibus imperviae, nihilque quoad essentiam cum corpore simile atque commune habent; denique 4. aliud plane nos cogitemus, quam quod per corporis motus suppeditatur: sic nec minus  $\alpha$ . a parte altera de mente infallibiliter constat, eam non causam productricem esse veram & physicam motionum corporis, utpote quae eduntur  $\alpha$ . partim mente nescia;  $\beta$ . partim ipsa invita; quas porro  $\gamma$ . non omni, quo adhibuerit, momento sistere in corpore potis est; quarum  $\delta$ . modum ignorat; quas denique  $\epsilon$ . si forte ex anatomia, labore indefesso, qualemcunque modi operationis corporis, ususque membrorum harmonici, notitiam sibi comparaverit, non facilius proferre, neque expeditius corporis membra agitare, potest, ac antea, cum modum hunc nesciret, ac illi, qui de hoc operandi modo non edocti sunt. Sed nec scopus est hoc argumentum pro debito & condigno in praesenti explicare, neque etiam arctum Dissertationi nostrae destinatum spatium hoc ipsum permittit. Quare id unum observasse ex dictis nobis sufficiat, quod, cum nullae sint corporis in producendis cogitationibus mentis, nullae mentis in movendo corpore, partes, frustra sint omnes illi, qui menti & corpori mirificum hoc unionis genus adscribunt.

## §. XXIX.

At ubi, quaeso, invenimus tandem sapientissimum, Unionis qui admirabile hoc mentis cum corpore connubium instituit, ac miram utriusque harmoniam & familiaritatem ordinavit,



dinavit, τεχνιτην? Si enim neque *casus*, neque *mens* sola, neque solum *corpus*, neque *mens* & *corpus* *conjunctim*, talem fecere sui concatenationem, sibi que concordiae leges & aeterna foedera imposuere, quis ergo? Verbo dicam, DEUS est. Hujus unio ista donum, hujus opus & καυχυμια.

## §. XXX.

Hocque patefcet, specimine non uno, luculentius, *Quod probatur ex unionis natura (a) generis.* si unionis hujus naturam paullo curatius inspexerimus: quo facto, cum ex effectu cognoscatur causa, opusque suum laudet opificem, absque labore multo addicemus, non alium dari hujus vinculi auctorem, praeter solum DEUM, artificem, supra quam capere ingenium humanum potest, sapientissimum, ac potentissimum.

## §. XXXI.

I. Nempe per hanc unionemprehendimus, mentem & corpus, res toto genere & natura *diversissimas* licet, nihilominus tamen ad *unitatem* redactas, & unam eandemque quasi naturam assumisse. Observamus II unionem istam absolvi *mutua* utriusque substantiae ad se invicem *relatione*, *actionumque reciprocatione*, vi cujus, ad certas actiones mentis, ad sunt certi in corpore motus, & ad certos vicissim in corpore motus, certae sequuntur in mente perceptiones & volitiones: eaque tam *intima* & *arcta*, ut mens contra naturam suam tangere & tangi, corpus autem cogitare, videatur. Quin praeter alternam hanc dependentiam sentimus III, inesse menti quendam *erga corpus adfectum*, inque *illud propensionem*; qua tanquam suum agnoscit & recipit, seque extra ejusdem commercium non perfecte beatam fore credit. Videmus IV. ita dispositum esse corpus, ut aptissimum sit ad exequendas mentis iustiones,



nes, *instrumentum*. Denique V. & cum in finem junctum animae corpus reperimus, ut ejus ope cum *corporibus aliis*, extra corpus suum, communionem habeat; quandoquidem in corpore, & per corpus suum, non tantum in aliorum corporum praeter se notitiam devenire, sed & iisdem frui, bonitatemque & suavitatem, quae in ipsis, gustare potest, & si quae sunt id genus alia, quae brevitatis studio omitto.

## §. XXXII.

Quibus praemisissis, proclive erit cuius judicatu, qualis tam nobili effectui assignanda causa. Talis nimirum sit, necessum est, quae *a. fecerit mentem*, partem hujus unionis praecipuam; qua productione jus sibi acquisiverit, quo non modo menti erga corpus amorem inspirare, potestatemque corpus movendi largiri, verum & cum eodem illud connectere, potuerit: talis *β. quae adeo concinne & harmonice formavit corpus*, ut commodum mentis esset organum, & ad nutum ejus se moveret: cuius moderamini subsint *γ. omnes & mentis cogitationes*, & quotquot sunt, *corporis motus*, ut ita mirandam, quae nunc conspicitur, inter utrasque mentis & corporis actiones, *harmoniam* instituire, easdemque ad se invicem determinare valuerit. Cui denique *δ. esse suum* debeant res cunctae, *praeter & extra nos*, ad quas videndas, tangendas, gustandas, corpus nostrum ordinatum, & natura *qs. factum*, est. Et, ut paucis complectar singula, causa, quae prodigioso huic operi producendo sufficit, esse debet *ε. sapientissima, potentissima, omniscia, independens, infinita, omnium rerum prima*, a qua, & ad quam, sunt cuncta, & in qua consummantur.



## §. XXXIII.

*Quae soli DEO competunt.* At vero tot tantisque perfectionibus pollens causa in tota rerum universitate non reperitur alia, praeter solum DEUM, qui, uti spiritum creat in medio hominis, & miraculose format in utero materno corpus, sic etiam utrumque consociandi jus potestatemque habet; qui porro omnes in manu sua complectitur, cum mentis actus, tum corporis motus, eosque, prout lubet, flectit, moderatur, & efficaciter determinat; qui denique creator, conservator, & director rerum omnium, atque ita operationum mentis, ac corporis motuum, mirum concertum, & cum rebus externis commercium, instituire valet. Solus DEUS est, de quo ista, quae §. XXIV. dedimus, unionis postulata & requisita praedicari ex eu. Phaei possunt, & cui omniscientiae, summae potentiae, multifariae sapientiae, gloria privative propria. Quare caecus sit oportet, qui artificem illam DEI manum, ex hoc sapientiae ac potentiae divinae artificium, non agnoscit & miratur.

## §. XXXIV.

*Unde probatur DEUM existere.*

At posito, DEUM esse hujus unionis auctorem, quis ingenio adeo erit stupido & impio, ut DEI existentiam in dubium vocare ulterius audeat? Qui enim fieri, quales, per ipsam rei naturam poterit, ut quis exiguum aliquod, multo minus tam illustre opus struat, qui non existit ipse? Posito effectu & causa ponitur. Unde firma oritur & indubitata conclusio: quam certum est, intercedere mentem inter & corpus tale vinculum, quo ad certos in corpore motus enascantur certae in mente cogitationes, motusque corporis vicissim pendens a voluntatis nutu, i. e. dari hominem, substantiam animam & corpore praeditam, tam certum etiam, dari DEUM.

Sed nec libet nunc, nec licet esse, in his prolixiori.



01 A 6731

ULB Halle

3

004 122 828









*Q. B. V. D. O. M.*  
EXERCITATIO PHILOSOPHICA,  
DE

EXISTENTIA DEI,  
EX  
STVPENDA MENTIS  
CVM CORPORE VNIONE,  
DEMONSTRATA,

*QVAM*  
PRAESIDE  
FRANC. VLRICO RIES,

S.S. THEOL. LICENT. ET PHILOS. PROF. PVBL. ORDIN.  
h. t. FACVLT. PHIL. DECANO,  
D. XXII. IVN. MDCCXXVI.

PVBLICO DNN. COMMILIT. EXAMINI  
SVBIICIET  
IOH. HENRICVS VILMAR,  
VICENHVSA-HASSVS.



MARVVRGI CATTORVM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

